

# ZGODOVINSKI ZBORNIK.

## PRILOGA

### „LAIBACHER DIOECESANBLATT-U.“



—*Izhaja v nedoločenih obrokih.*—

Tretje leto.

Ljubljana, meseca decembra 1890.

Številka 14.

## Diplomatarij.

Zatrtje (suppressio) oglejskega patrijarhata in ustanovitev goriške oziroma videmske nadškofije.

(Nadaljevanje in konec.)

§ 8. Praeterea Parochiale Ecclesiam, Sanctae Mariae de Romans nuncupatam, Goritien., quae sicut similiter accepimus, de eodem Jurepatronatus Laicorum Nobilium et Illustrum, videlicet praefatae Mariae Theresiae Reginae, ex fundatione, vel dotatione existit; quaeque per obitum quandam Joannis Baptista Caterini, dum viveret, illius Rectoris, qui extra dictam Curiam diem clausit extremum, ad praesens vacat, sive ut praefertur, sive alias quovis modo, aut ex alterius cuiuscumque Persona, seu per liberam resignationem dicti Joannis Baptista, vel cuiusvis alterius, de illa extra dictam Curiam etiam coram Notario publico et Testibus sponte factam aut Constitutionem praefati Joannis PP. XXII. Praedecessoris nostri, quae incipit, *Excavabilis*, vel assequutionem alterius Beneficii Ecclesiastici Ordinaria authoritate praefata collati, vacet, etiam si tanto tempore vacaverit, quod eius collatio iuxta praefati Lateralensis statuta Concilii ad Sedem eamdem legitime devoluta, Secundodictaque Parochialis Ecclesia huiusmodi dispositioni Apostolicae specialiter reservata existat, et super ea inter aliquos lis cuius statum eisdem praesentibus etiam haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, illiusque titulum collativum, ac denominationem, naturam, et essentiam Parochialis Ecclesiae collativaem, ita quod ex nunc collativa esse desinat, et de caetero uti talis in titulum collativum conferri, aut impetrari non possit, et si

illam deinceps conferri, aut impetrari, vel alias de illa disponi contigerit, collationes, impetrations, aliaeque dispositiones hujusmodi, nullae et invalidae, nulliusque roboris vel momenti existant, nullique suffragentur, nec coloratum titulum possidendi cuiquam tribuant, eadem Apostolica auctoritate, de consensu praefatae Mariae Theresiae Reginae, etiam perpetuo suppressimus, et extinguimus, illamque sic suppressam et extinetam, una cum omnibus, et singulis secundodictae Parochialis Ecclesiae bonis, rebus, et proprietatibus, illorumque fructibus et redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, et emolumentis universis, cujuscumque nominis, naturae, speciei, qualitatis, et quantitatis existant, eisdem Mensis Archiepiscopali, et respective Capitulari praefatae Parochialis Ecclesiae Exaltationis Sanetae Crucis, et Sancti Viti in Archiepiscopalem Ecclesiam Goritiensem, ut praefertur, erectae: ita quod liceat futuris Archiepiscopo, ac illius Capitulo, et Canonicis, eorum, ac utriusque Mensae hujusmodi respective nominibus, omnium, et singulorum secundodictae Parochialis Ecclesiae, ut praefertur, suppressae et extinctae bonorum, rerum, proprietatum, fructuum, reddituum, proventuum, Jurium, obventionum et emolumentorum huiusmodi corporalem realem et actualem Possessionem per Se, vel alium, seu alios propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, dictaque bona, res, proprietate.

<sup>38)</sup> Parochialis patronata Ecclesia S. Mariae de Romans supprimitur.

<sup>39)</sup> Et una cum omnibus fructibus, et proventibus Archiepiscopali, et Capitulari Mensae unitur.

tates locare, dislocare, arrendare, illorumque fructus, redditus et proventus, certos et incertos, ac emolumenta praefata percipere, exigere, levare, ac in eorum, et utriusque mensae hujusmodi usus, et utilitatem convertere, cujusvis licentia desuper minime requisita; supportatis tamen per futuros Archiepiscopum, ac capitulum, et Canonicos praefatos, omnibus et singulis secundodictae Parochialis Ecclesiae, ut praefertur, suppressae, et extinctae oneribus, dicta Apostolica auctoritate, de simili consensu praefatae Mariae Theresiae Reginae modernae et unicae secundodictae Parochialis Ecclesiae Patronae praefatae, pariter perpetuo unimus, anneximus, et incorporamus.

<sup>40)</sup> § 9. Et insuper, ne cura animarum dilectorum quoque filiorum Parochianorum tam primodictae Exaltationis Sanctae Crucis, et Sancti Viti in Archiepiscopalem Ecclesiam Goritiensem, ut praefertur erectae, quam secundodictae, ut praefertur, suppressae, et extinctae Parochialium Ecclesiarum hujusmodi, aliquod in ejus exercitio, caeterisque ejusdem muneribus, oneribus, et obligationibus, patientur detrimentum, unam in primodieta, ac alteram in secundodicta Parochialibus Ecclesiis hujusmodi Vicarias perpetuas, pro uno, et altero Presbyteris saecularibus, futuris primo et secundodictarum Parochialium Ecclesiarum hujusmodi Vicariis perpetuis, per dictam Mariam Theresiam Reginam, ejusque Filios, et Descendentes nominandis, et ab Ordinario loci ad curam animarum exercendam approbandis, atque in dictis Vicariis ad nominationem hujusmodi per ipsum Ordinarium instituendis, qui Vicarii sic in illis instituti, apud primo et secundodictas Parochiales Ecclesias hujusmodi personaliter respective residere, ac curam animarum Parochianorum praefatorum laudabiliter exercere, eisque Ecclesiastica Sacraenta administrare, aliisque onera primo et secundodictis Parochialibus Ecclesiis hujusmodi quomodolibet incumbentia, subire et adimplere, prout Rectores primo et secundodictarum Parochialium Ecclesiarum hujusmodi pro tempore existentes, facere debebant, et tenebantur, similiter, et pariformiter, et absque ulla prorsus differentia, etiam debeant, et teneantur, eadem Apostolica auctoritate similiter perpetuo erigimus et instituimus; illisque sic erectis et institutis, pro illarum respective congrua et competenti dote, illasque pro tempore obtinentium congrua sustentatione, et onerum illis incumbentium supportatione, ex fructibus dictarum mensarum Archiepiscopalis et Capitularis respective, summam futuris Vicariis praefatis ab eodem

<sup>40)</sup> Curae animarum utriusque Parochiae, tam suppressae quam in Metropolitanam erectae cumulate consultur.

<sup>41)</sup> Constitutis inibi duobus Vicariis perpetuis cum congrua ad formam Constitutionum Apostolicarum definienda.

Ordinario loci juxta Sacrorum Canonum, et Concilii Tridentini praefati Decretorum, nec non Constitutiones Pii Papae V. etiam praedecessoris Nostri, super declaratione assignationum Vicariis perpetuis faciendarum editae dispositionem, quotannis assignandam, et per futuros Archiepiscopum, ac Capitulum, et Canonicos Goritienses praefatos persolvendam, Apostolica auctoritate praefata, etiam perpetuo applicamus, et appropriamus.

<sup>42)</sup> § 10. Et, quia, sicut etiam accepimus, alias, vide-  
licet de anno ejusdem Domini millesimo sexcentesimo octogesimo sexto, quandam tune in humanis agens Vitus Gullini Presbyter, in ejus postremo, sub quo ab humanis decessit, elogio, nonnulla ejus bona, quorum redditus ad praesens ad valorem annum duorum millium florinorum monetae illarum partium, ut pariter accepimus, ascendunt, intuitu erectionis Cathedralis Ecclesiae Goritiensis reliquit, et deinde de anno praefati Domini millesimo sexcentesimo nonagesimo quinto, bonae memoriae Sebastianus Antonius, dum viveret, praefatae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Tanarius nuncupatus, tune dictae Sedis Apostolicae Nuncius Viennae commorans, ex bonis a praefato Vito, ut praefertur, relictis, unum simplex, et personalem residentiam non requires Beneficium Ecclesiasticum in Parochiali, seu alia Ecclesia Civitatis Goritiensis praefatae, juxta decretum Congregationis tunc existentium praefatae S. R. E. Cardinalium Decretorum dicti Concilii Tridentini Interpretum, erexit et fundavit: Nos provide considerantes, attenta erectione Archiepiscopalis Ecclesiae Goritiensis hujusmodi per Nos, ut praefertur, facta, piam praefati Viti intentionem, et foundationem suum plenarium effectum jam consequatam esse, Beneficium, ut praefertur, ad tempus destinatum, erectum, et fundatum hujusmodi, non obstante quovis dissenso, seu obstaculo moderni illius Titularis, praevia illius tituli collativi, quatenus opus sit, perpetua suppressione et extinctione, una cum omnibus et singulis illius bonis, fructibus, redditibus, proventibus, juribus obventionibus, et emolumentis universis, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, Mensis Archiepiscopali, et respective Capitulari praefatis, supportatis, tamen per futuros Archiepiscopum, et capitulum, et Canonicos Goritienses omnibus et singulis dicti Beneficii, ac praesertim unius Missae privatae, quam per dictos futuros Capitulum, et Canonicos in suffragium animae praefati Viti quotannis celebrari mandamus, oneribus, pariter perpetuo unimus, anneximus, et incorporamus.

<sup>43)</sup> § 11. Insuper ex praefatis dismembrationibus, et suppressionibus, ac respective unionibus, et applicatio-

<sup>42)</sup> Alia Archiepiscopalis, et Capitularis Mensae accessio ex suppressione Beneficii simplicis.

<sup>43)</sup> Dos Archiepiscopalis Ecclesiae quanta, et unde conficienda.

nibus, per Nos, ut praefertur, factis, certam. et fixam dotem, tam Archiepiscopalis, quam Capitularis Goritiensis. Mensarum hujusmodi destinare intendentes, pro tempore existenti Archiepiscopo Goritiensi, in computum praefatorum sex millium sexcentorum florenorum annuorum pro ejus manutentione, ut praefertur, assignatorum, redditus Patriarchalis Ecclesiae praefatae Aquilejensis per Nos, ut praefertur, suppressae et extinctae, ad quatuor mille et quadringentos florenos hujusmodi annuatum, ut similiter accepimus, ascendentes; ac ex nunc prout extine, et e contra, postquam dictum Monasterium Sancti Petri de Rosacio ex persona praefati Angeli Mariae Cardinalis, et Episcopi quovis modo, illius Commenda praefata, ut praefertur, cessante, vacare contigerit, ejusdem Monasterii S. Petri de Rosacio fructus, redditus, et proventus ex bonis in Austriaca Ditione existentibus provenientes, et ad summam mille centum florenorum monetae illarum partium etiam annuatum, ut pariter accepimus, ascendentes; ac etiam quibus Patriarchatus Aquilejensis per Nos, ut praefertur, suppressus, et extinctus, illiusque Patriarcha pro tempore existens a parte Imperii fruebatur, in summa quadringentorum sexaginta quatuor florenorum similium annuorum; necon redditus secundodictae Parochialis Ecclesiae S. Mariae de Romans, ut praefertur, suppressae et extinctae, ac etiam, ut praefertur, unitae, annexae, et incorporatae, ad sexcentos florenos similiter annuatum, ut etiam accepimus, ascenden., similiter perpetuo concedimus, et assignamus. Et quamvis ad complendam integrum summam dictionum sex millium et sexcentorum florenorum monetae praefatae pro Congrua Archiepiscopi Goritiensis pro tempore existentis praefati assignatorum, trigintasex floreni similes annuatum deficiant; nihilominus eadem summa, ut praefertur, assignata, tamquam integra computari debet, tum quia bona, ut par est, diligenter, administrata, maiores producere poterunt redditus, tum etiam quia pro tempore existens Archiepiscopus Goritiensis praefatus exemptus semper erit a solutione quindenniorum Sedi Apostolicae praefatae Capitulo, et Canonicis Patriarchalis Ecclesiae Aquilejensis per Nos, ut praefertur, suppressae et extinctae antea solvi solitorum, pro bonis nonnullorum Monasteriorum illius Mensae Capitulari alias unitorum, ad quorum solutionem Capitulum et Canonici Ecclesiae Goritiensis, ut praefertur, erectae pro tempore existentes praefati, ex nunc imposterum tenebuntur, et obligati existent. Quibus itidem pro eorum particulari dote, onerumque eis pro tempore incumbentium supportatione, infrascriptos redditus, ad summam octo millium ducen-

44)

<sup>44)</sup> Quanta itidem dos Capitularis Mensae et quomodo inter Dignitates, et Canonicos, reliquosque Mansionarios, et Cappellanos partienda.

torum et quatuor florenorum dictae monetae annuatum, ut pariter accepimus, ascendentes, scilicet florenos mille et quingentos ex praefata Parochiali Ecclesia Exaltationis Sanctae Crucis, et Sancti Viti, ut praefertur, suppressa et extincta, et in Archiepiscopalem Ecclesiam Goritiensem, ut praefertur, erecta; ac florenos bismille ex praefato Beneficio pariter, ut praefertur, suppresso, et extincto; ac florenos quatuormille ex bonis haereditariis dicti quandam Augustini Codelli, licet bona haereditaria hujusmodi, ex dispositione praefati Augustini, pro erectione Episcopatus, seu Cathedralis Ecclesiae Goritiensis relecta fuerint, necon florenos similes septingentos quatuor ex communibus redditibus Capituli, et Canonicorum olim Ecclesiae Patriarchalis Aquilejensis per Nos, ut praefertur, suppressae et extinctae, annuatum respective provenient.; et quemcumque alium fundum, quatenus existat, pro dote, et annuo adimplemento Missarum, et Anniversariorum destinatum, etiam pariter concedimus et assignamus. Cum hoc tamen, quod administratione omnium bonorum hujusmodi apud Capitulum, et Canonicos praefatae Ecclesiae Goritiensis pro tempore existentes praefatos remanente, teneantur ipsi Capitulum et Canonici, ex illorum redditibus subministrare annuatum florenos mille praeposito, qui etiam fruatur habitatione domus ab eodem quandam Vito Gulini, ut similiter accepimus, relictæ, ac octingentos Decano, et sexcentos Primicerio, ac quadringentos quinquaginta cuiilibet ex quinque Canonicis praefatis, ac ducentos cuiilibet ex sex Mansionariis hujusmodi, necon centum quinquaginta florenos similis cuiilibet ex duobus presbyteris Cappellanis nuncupandis, qui praeter Sacristam, annuos redditus trecentorum florenorum similium separatim habentem, inservient, et insimul Missas celebrabunt in antiqua Patriarchali Ecclesia Aquilejensi per Nos, ut praefertur, suppressa et extincta, semper tamen Sedi Apostolicae praefatae immediate subjecti, et Delegato Apostolico, prout ordinatur in praefatis Nostris Literis Apostolicis incipientibus — *Injuncta Nobis* — Pridie nonas Julii, Pontificatus Nostri anno undecimo, ut praefertur, expeditis.

45)

§ 12. Et quia juxta supradictum computum, annuatum superabundare videntur mille sexcentiquatuor Floreni similes, isti erogari debebunt in adimplementum onerum Missarum, et Anniversariorum translatorum, et ut superius ordinatorum, inter quas Missas una annuatum private celebranda erit in suffragium Animæ praefati quandam Viti Gulini, necon in manutentionem praefatae Ecclesiae Aquilejensis, per Nos, ut praefertur, suppressae, et extinctae, ac novae Ecclesiae Archiepiscopalis Goritiensis, pro medietate cum Archiepiscopo Go-

<sup>45)</sup> Quae reliqua est summa, in quos usus eroganda.

ritiense pro tempore existente, et pro salariis Ministrorum, aut alterius occurrentis solutionis, onerum, et similiter pro prompta, et integra satisfactione quindenniorum praefatae Sedi Apostolicae debitorum pro praefato Monasterio de Belinga, seu Belluna, vel Bulegna, ac dicta Praepositura ad Sanctum Stephanum, praefati Territorii Gradiscae in Austriaco dominio, mensae Capitulari praefatae Ecclesiae Patriarchalis Aquilejensis per Nos, ut praefertur, suppressae, et extinctae, alias unitis, videlicet Florenos auri de Camera septuagintaduos, et solidos novem pro eodem supradicto Monasterio de Belinga, seu Belluna, vel Bulegna, corumdem Fratrum Nostorum praefatae Sanetae Romanae Ecclesiae Cardinalium Collegio, qui ad monetam Romanam reducti conficiunt summam centum vigintinovem scutorum dictae monetae, et obulorum octoginta duorum, singulis quindenniis; et Cancellariae Apostolicae Officialibus septuaginta quinque Ducatorum auri de Camera hujusmodi, qui sunt in moneta Romana praefata scuta centumviginti septem, et obuli septuaginta quinque; necnon Camerae Apostolicae Florenos vigintinovem, qui conficiunt summam scutorum quinquagintaduorum dictae monetae; ita ut in totum debeantur in decursu annorum quindecim scuta trecenta novem, et obuli septuagintaduo cum dimidio alterius obuli paris; et ulterius praefatae Cancellariae Apostolicae Officialibus, pro praefata Praepositura ad Sanctum Stephanum Gradiscae, ut supra, unita singulis pariter quindenniis, ducatos auri de Camera similes centum et tres, qui conficiunt summam centum octoginta scutorum dictae monetae, et obulorum vigintiquinque; ita ut ambabus dictis partitis computatis, pro tempore existentes Capitulum, et Canonici praefatae Archiepiscopalis Ecclesiae Goritiensis per Nos, ut praefertur, erectae tenebuntur, et obligati erunt solvere singulis quindenniis scuta quadringenta octoginta novem, et obulos nonaginta septem praefatae monetae, quae singulis annis repartita, quolibet anno constituant summam scutorum trigintaduorum, et obulorum sexaginta sex cum dimidio alterius obuli similis.

§ 13. Praeterea eisdem futuris, et pro tempore existentibus Ecclesiae Goritiensis Archiepiscopo, Capitulo, et Canonici, et Dignitates praefatas obtinentibus, ut ipsi capitulariter congregati pro dictae Ecclesiae Goritiensis, ac illius Mensae Capitularis, Sacristiae, et Fabricae, earumque rerum, et honorum tam spiritualium, quam temporalium prospero, felicique statu, regimine, gubernio, et directione, ac onerum eis pro tempore respective incumbentium supportatione, Missarum, Hora-

<sup>46)</sup> Conceditur facultas Capitulo condendi, reformati, ac corrigendi statuta pro oeconomia honorum administratione, et Ecclesiae servitio.

rum Canonicarum diurnarum, et nocturnarum, aliorumque Divinorum Officiorum, Processionum, Funeralium, et Anniversariorum celebratione, ac de Dignitatibus, Canonicatibus, et Praebendis, ac Mansionariis praefatis, aliisque Ministeriis Ecclesiasticis, inibi pro tempore providendorum receptione, et admissione, personali residentia, distributionum etiam quotidianarum, et emolumentorum quorumcumque repartitione, et amissione, poenarum per absentes a Divinis Officiis, et Functionibus, suis loco, tempore non interessentes, seu onera, et ministeria eis respective incumbentia subire negligentes incurendarum impositione, atque incursu, singularum praesentiis, et absentiis notandis, Caeremoniis, et Functionibus in praefata Ecclesia, illiusque Choro, Capitulo, Processionibus, et aliis actibus servandis, necnon praefatae Ecclesiae Ministris deputandis, et amovendis, salariis, et stipendiis, eorum cuilibet assignandis, ac quibusvis aliis rebus, in praemissis, et circa ea quomodolibet necessariis, et opportunis, quaecumque Statuta, Ordinationes, Capitula, et Decreta, licita tamen et honesta, et sacris Canonibus, ac praefati Concilii Tridentini Decretis, et Constitutionibus Apostolicis non contraria, condere, et edere, conditaque, et edita, pro temporum, et rerum varietate et qualitate, mutare, limitare, corrigere, declarare, et interpretari, ac in meliorem formam redigere, seu alia de novo etiam ex integrō condere, et per eos, ad quos pro tempore spectabit, sub poenis in contrafacentes statuendis, observari facere, libere, et licite valeant, plenam, liberam, et omnimodam facultatem, potestatem, et auctoritatem, eadem Apostolica auctoritate similiter perpetuo concedimus et impertimur.

§ 14. Ulterius futuris praefatae Ecclesiae in Archiepiscopalem, ut praefertur, erectae Praeposito, et Decano, ac Primicerio, et quinque Canonici, necnon sex Mansionariis praefatis, eorumque in Praepositura, et Decanatu, et Primiceriatu, ac singulis Canonicatibus, et Praebendis, necnon sex Mansionariatibus hujusmodi successoribus respective pro tempore existentibus, ut ipsi Praepositus videlicet, ac Decanus, et Primicerius, ac quinque Canonici praefati, Cappam magnam violacei coloris cum pellibus Armellinis subsutam, et Rocchettum; Mansionarii vero praefati Almutiam, tam in praefata Ecclesia in Archiepiscopalem, ut praefertur, erecta, quam extra eam, et tam in Processionibus, quam aliis actibus, et functionibus quibuscumque publicis, et privatis, etiam extra Civitatem Goritiensem praefatam, ac ubique locorum, etiam in Synodalibus, Provincialibus, Universalibus, Generalibusque Conciliis, ac etiam in praesentia dictorum

<sup>47)</sup> Ac Dignitatibus et Canonici Cappae Magnae, Mansionarii autem Almutiae usus.

Venerabilium Fratrum Nostrorum praefatae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium de Latere Legatorum, Archiepiscoporum, Episcoporum, et Ordinarii etiam proprii, ac aliorum quorumeumque, ac etiam in ipsius Ecclesiae Choro, et Capitulo, quibusvis anni temporibus, et diebus, deferre et gestare, illisque respective uti libere, et licite valeant, et possint.

<sup>48)</sup> § 15. Eisdem quoque Praeposito, et Decano, ac Primicerio, et quinque Canonicis, necnon sex Mansionariis pro tempore existentibus praefatis, ut ipsi eorumque Officiales, ac Ministri, ac res, bona, proprietates, et jura quaecumque, omnibus et singulis tam spiritualibus, quam temporalibus privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, praeminentiis, antelationibus, concessionibus, indultis, favoribus, et gratiis, quibus aliarum similium Archiepiscopalium, et Metropolitanarum Ecclesiarum illarum Partium Capitula, Dignitates, Canonicatus et Praebendas, ac Mansionariatus in eis obtinentes, eorumque Officiales, et Ministri, ac bona, jura, res, et proprietates, de jure, usu, consuetudine, privilegio, aut alias quomodolibet, non tamen titulo oneroso, aut ex Indulto, seu privilegio particulari, utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, aut uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt quomodolibet in futurum, similiter, et parviter, ac aequo principaliter, et ubique absque ulla prorsus differentia, dummodo tamen illa sint in usu, et non revocata, nec sub aliqua revocatione comprehensa, sacrisque Canonibus, et praefatae Concilii Tridentini Decretis, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis non repugnant, uti, frui, potiri, et gaudere libere et licite etiam possint, et valeant, perinde ac si eis nominatim, et expresse concessa fuissent, eadem Apostolica auctoritate etiam perpetuo concedimus, et indulgemus.

<sup>49)</sup> § 16. Et insuper, attentis praefatae Mariae Theresiae Reginae peculiaribus meritis, dum ipsa pro electione novae Archiepiscopalis Ecclesiae Goritiensis hujusmodi, consensum praestitit unioni Beneficiorum aliquot Ecclesiasticorum de suo jure-patronatus existentium, ac considerabilibus munieribus, et donativis eidem Archiepiscopali Ecclesiae Goritiensi per eam factis, sperantes etiam quod in posterum, pro ejus singulari liberalitate, alia similia, aut majora facere possit, eidem Mariae Theresiae Reginae, ejusque Filiis, et Descendentibus, Jus nominandi ad praefatam Archiepiscopalem Ecclesiam tam hac prima vice, a primaeva illius electione et institutione per Nos, ut praefertur, factis, Pastoris solatio de-

stitutam, quam deinceps, quoties eam pro tempore quomodolibet, non tamen per obitum apud Sedem Apostolicam praefatam, etiam Pastoris solatio destitui contigerit. Personam idoneam, per Nos, et Romanum Pontificem pro tempore existentem, ad nominationem hujusmodi, eidem Ecclesiae Goritiensi in Archiepiscopum praeficiendam, necnon ad Praeposituram, et Decanatum, et Primiceriatum, et quinque Canonicatus et Praebendas, ac sex Mansionariatus praefatos, necnon ad unam, et alteram perpetuas Cappellianas in praefata Ecclesia Patriarchali Aquilejensi per nos, ut praefertur, suppressa, et extincta, pro celebratione Missarum, et Anniversariorum praefatorum, inibi per unum et alterum Presbyteros, Cappellanos nuncupandos, obtinendas, destinatos, et ut praefertur, erectos et erectas hujusmodi, quandocumque, et quotiescumque illos, et illas de caetero, quibusvis modis, et ex quorumeumque personis, etiam Nostris, et Romani Pontificis pro tempore existentis, seu quorumvis praefatae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, etiam tune viventium, Familiaribus, et continuis Commensalibus, seu praefatae Romanae Ecclesiae et Curiae Officialibus, aut alias reservationem, et affectionem inducentibus, seu per liberas, etiam ex causa permutationis, resignaciones de illis in Romana Curia praefata, etiam in Nostris, et Romani Pontificis pro tempore existentis manibus, vel extra eam quomodolibet, respective factas et admissas, aut assequutionem aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum quavis auctoritate collatorum, seu illos et illas pro tempore respective, obtinentium in aliquo ex mensibus Nobis, et Romano Pontifici pro tempore existenti praefato, ac eidem Sedi Apostolicae reservatis, non tamen per obitum apud Sedem eamdem, decessum, vel quamvis aliam dimissionem, amissionem, privationem, Religionis ingressum, et professionis in ea emissionem, Matrimonii contractum, aut alias quomodocumque, et qualitercumque vacare contigerit, personas itidem idoneas, in Praepositura per Nos, ut praefertur, erecta praefata, quovis modo, et in quibusvis mensibus pro tempore vacante, per Ordinarium Loci; in Primiceriatu vero, ac singulis quinque Canonicatus, totidemque Praebendis, ac sex Mansionariatus, necnon una et altera Cappellaniis per Nos, ut praefertur, erectis hujusmodi, non tamen in infrascriptis sex mensibus pro tempore vacante, neque in dicto Decanatu quovis modo, et in quibusvis mensibus etiam pro tempore vacante, etiam per eundem Ordinarium Loci respective instituendas, simili Apostolica auctoritate pariter perpetuo reservamus, concedimus, et assignamus; necnon Jus nominandi hujusmodi tam ad dictam Ecclesiam Goritiensem, quam ad Praeposituram, et Decanatum, et Primiceriatum, et quinque Canoni-

<sup>48)</sup> Universa denique jura caeteris Capitulis quomodolibet competentia.

<sup>49)</sup> Jus nominandi ad Metropolitanam Ecclesiam, Dignitates, Canonicatus Mansionariatus, et Cappellianas reservatur favore Regiae Hungariae, ejusque Filiorum, et Descendentium.

catus, totidemque Praebendas, et sex Mansionariatus, ac unam et alteram Cappellanias per Nos, ut praefertur, erectas et erectos hujusmodi, Regium existere, eidemque Mariae Theresiae Reginae, ejusque Filiis, et Descendentibus praefatis, semper et perpetuo competere, illudque vim, effectum, naturam, substantiam, essentiam, qualitatem, validitatem, et roboris firmitatem Juris nominandi Regii hujusmodi obtinere, ac uti tale sub quacumque derogatione, etiam cum quibusvis praegnantissimis, et efficacissimis clausulis, et decretis, in quacumque dispositione etiam per viam Constitutionis, Legis, Regulae Cancellariae Apostolicae, aut alias quomodocumque facta, nullatenus comprehendi, neque illi ullo umquam tempore, et ex quavis causa derogari posse, neque debere, ac collationes, provisiones, et quasvis alias dispositiones de Praepositura, et Decanatu, ac Primiceriatu, et quinque Canonicatibus, totidemque Praebendis, ac sex Mansionariatibus, necnon una et altera Cappellaniis, ut praefertur, erectis hujusmodi, absque ipsius Mariae Theresiae Reginae, ejusque Filiorum, et Descendentium praefatorum consensu, seu nominatione pro tempore factas, processusque desuper habendos, et inde sequenda quaecumque, nulla et invalida, nulliusque roboris, vel momenti fore et esse, ac pro nullis et infectis haberri, nec jus, aut coloratum titulum possidendi cuiquam per illa tribui posse decernimus.

<sup>50)</sup> § 17. Cum hoc tamen, quod quoties praefatam Ecclesiam Goritiensem Pastoris solatio destitui, ac Decanatum praefatum quovis modo, et in quibusvis mensibus, praefatum vero Primiceriatum, ac quinque Canonicatus, totidemque Praebendas, et sex Mansionariatus, ac unam et alteram Cappellanias, ut praefertur, erectos et erectas hujusmodi, in sex mensibus, scilicet Januarii, Martii, Maji, Julii, Septembris, et Novembbris, Sedi Apostolicae praefatae juxta Concordata Germaniae reservatis, vacare contigerit, ad illam, et illos, ac illas nominatio hujusmodi, Nobis, et Successoribus Nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus tantum fieri debeat, et ad illos, et illas respective, ut praefertur, pro tempore nominati Literas Apostolicas, cum expressione tamen fructuum tam Decanatus, quam Primiceratus, ac quinque Canonicatum, totidemque Praebendarum, necnon sex Mansionariatum, et unius, et alterius Cappelliarum hujusmodi, in vigintiquatuor ducatis auri de Camera hujusmodi, juxta stylum Germaniae, expedire teneantur; ad Ecclesiam praefatam vero Goritiensem pro tempore etiam nominati pariter Literas Apostolicas expedire, ac jura praefatae Camerae Apostolicae, et aliis propterea debita, juxta taxam, quae ab eorumdem Car-

<sup>50)</sup> Quando expedienda sint Literae Apostolicae, et cum quibus expressionibus.

dinalium Collegio praefato, habito respectu ad praesentes redditus Mensae Archiepiscopalis Goritiensis praefatae, necnon ad aliam taxam correspondentem redditibus a praefato Monasterio Sancti Petri de Rosacio, ut praefertur, dismembratis, et pro tempore existenti Archiepiscopo Goritiensi assignatis, in summa septingentorum florenorum auri hujusmodi, statuta fuit, et quam in eadem summa in Libris Cameræ Apostolicae praefatae describi volumus; et in qua taxa florenorum septingentorum, comprehendendi debeat taxa Communis dicti Monasterii Sancti Petri de Rosacio Goritiensis Dioecesis, quae ab Archiepiscopis Goritiensibus pro tempore, utpote in provisione Ecclesiae Archiepiscopalis solvenda, in Literis Apostolicis Commendae ejusdem Monasterii desuper expeditis persolvi non debet, persolvere similiter teneantur.

§ 18. Praesentes quoque Literas semper et perpetuo validas, et efficaces esse et fore, nec ullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis seu invaliditatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, seu in jus vel controversiam vocari, aut adversus illas quocumque juris vel facti, aut gratiae vel justitiae remedium impetrari posse, nec illas sub quibusvis similius vel dissimilius gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositiobibus, etiam per Nos, et Sedem Apostolicam praefatam, sub quibuscumque tenoribus, et formis, et sub quibusvis clausulis, et decretis, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, pro tempore factis, et faciendis, comprehendendi, vel confundi, sed tamquam ad Fidei Catholicae exaltationem, Divinique Cultus incrementum, et animarum, aedificationem, et solatium, factas, et emanatas, semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, ac plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data, per futuros, et pro tempore existentes Archiepiscopum, et Capitulum, ac Canonicos Goritienses praefatos, ac alios, quorum favorem eaedem praesentes Literæ quomodolibet concernunt, quandocumque eligenda, concessas, validasque fore et esse, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtainere: et sic ab omnibus censer, et ita per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ejusdem Sanctæ Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, dictaeque Sedis Nuncios, et quoslibet alios quavis praerogativa, et privilegio fungentes, ac honore, et praemiti-

<sup>51)</sup> Clausulae pro praemissorum firmitate.

<sup>52)</sup> Alter judicari prohibetur.

nentia fulgentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, et si secus super his a quodam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane Motu pari similiter decernimus (et nihilominus infrascriptos primodictum Antonium, ac Sigismundum primodictum, ac Thomam, et Ludovicum Felicem, ac Petrum Paulum, et Aloisium, ac Carolum, et Sigismundum Secundodictum, ac Franciscum et Franciscum Xaverium, et Antonium Secundodictum, et Joannem Baptistam, et Mathiam, et Josephum, quorum quilibet duo vel tria perpetua simplicia, et personalem residentiam non requirentia Beneficia Ecclesiastica in aliis, quam praefata Parochiali Exaltationis Sanctae Crucis et Sancti Viti in Archiepiscopalem Ecclesiam Goritiensem, ut praefertur, erecta, Ecclesiis sita, quorum cuiuslibet fructus, redditus, et proventus viginti quatuor ducatorum auri similium valorem annum non excedunt, ut similiter accepimus, facultatem obtinet, a quibusvis Excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliquis ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a Jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tamen consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore centes, Praeposituram Antonio Pullini, ac Decanatum Sigismundo Comiti ab Edling, et Primiceriatum, ut praefertur, erectam et erectos huiusmodi Thomae Hansizius, ac unum et unam Ludovico Felici Romani, ac alium et aliam Petro Paulo Cappello, ac alium et aliam Aloiso Comiti Lanthieri, ac alium et aliam Carolo de Baronio, ac reliquum et reliquam ex dictis quinque Canonicatibus, totidemque Praebendis etiam, ut praefertur, erectis huiusmodi Sigismundo Beltrame, nec non unum Francisco Michor, ac alium Francisco Xaverio Dizorzi, ac alium Antonio Fanetti, ac alium Joanni Baptiae Miani, ac alium Mathiae Proy, necnon reliquum ex dictis Sex Mansionariatus similiter, ut praefertur, erectis huiusmodi, quorum cuiuslibet et illis forsitan respective annexorum fructus, redditus, et proventus viginti quatuor Ducatorum auri de Camera huiusmodi valorem annum, ut similiter accepimus, non excedunt, a primaeva illius, ac illorum et illarum respective erectione et institutione huiusmodi vacantes, cum annexis huiusmodi et quoad Canonicatus et Praebendas praefatos plenitudine Juris Canonici, ac omnibus iuribus et pertinentiis suis Josepho Parcar, Clericis seu Presbyteris, nec non unam Antonio Populini ac alteram ex dictis Cappellaniis, ut praefertur, erectis huiusmodi etiam a primaeva illarum Erectione praefata vacantibus, quarum cuiuslibet fructus, redditus et proventus viginti quatuor Ducatorum auri huiusmodi secundum aestima-

tionem praefatam valorem annum, ut pariter accepimus, non excedunt, Bartholomeo Delfuri, Presbyteris praefatae olim Aquilejensis seu alterius respective Civitatis, vel Dioecesis, Dilectis pariter filiis, quos praefata Maria Theresia Regina Nobis ad hoc per suas litteras nominavit, Apostolica authoritate praefata conferimus, et de illa et illis etiam respective providemus, ac insuper futuro Archiepiscopo Goritiensi, necnon dilecto similiter filio moderno nostro, et Sedis Apostolicae praefatae Nuncio Viennae in Austria commoranti, nunc et pro tempore existentibus Executoribus Apostolicis, Motu simili per praesentes committimus et mandamus, quantum ipsi, vel alter eorum, per Se, vel alium, seu alios, modernus videlicet et pro tempore existens Nuncius praefatus praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando expedierit, et quoties pro parte Archiepiscopi ac Capituli et Canonicorum Goritiensium huiusmodi seu cuiusvis alterius in his interesse habentis desuper requisiti fuerint, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant authoritate nostra praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi firmiter observari, et singulos, quos eadem praesentes litterae concernunt, illis pacifice frui et gaudere non permittentes, ipsos et eorum aliquem desuper per quoscumque quomodolibet indebitate molestari, perturbari, vel inquietari, Contradictores quolibet et Rebelles per sententias censuras et poenas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris vel facti remedia, servata tamen forma praefati Concilii Tridentini, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, Sententias, censuras, et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, reaggravando, interdictum Ecclesiasticum apponendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio Brachii saecularis. Futurus Archiepiscopus vero praefatus primodictum Antonium, recepto prius ab eo, nostro et Romanae Ecclesiae nomine, fidelitatis debitae solito Iuramento, iuxta formam, quam sub Bulla nostra mittimus introclusam in Praepositurae ac primodictum Sigismundum in Decanatus, et Thomam in Primiceriatus, ac Ludovicum Felicem, et Petrum Paulum, et Aloisium, et Carolum, ac Sigismundum Secundodictum in Singulorum Canonicatum et Praebendarum, et Francicum ac Franciscum Xaverium, et Antonium Secundodictum, ac Joannem Baptistam, et Mathiam, ac Josephum praefatos, vel eorum respective procuratores in singulorum Mansionariatum, ut praefertur, erectorum et erectarum huiusmodi, ac annexorum, Juriumque et pertinentiarum praefatorum respective Possessionem inducant, authoritate nostra praefata et defendant Inductos, Amotis quibuslibet illicitis detentoribus ab eisdem. Ac faciens primodictum Anto-

nium ad Praeposituram, ac Sigismundum primodictum ad Decanatum, et Thomam ad Primiceriatum, ac Franciscum, et Franciseum Xaverium, ac Antonium Secundodictum, ac Joannem Baptistam, et Mathiam, ac Josephum, praefatos ad Singulos Mansionariatus praefatos, vel eorum respective Procuratores praefatos, ut est moris, admitti, quo vero ad Ludovicum Felicem, et Petrum Paulum, et Aloisium, et Carolum, et Sigismundum Secundodictum ad Praebendas, ut praefertur, erectas huiusmodi in dicta Parochiali Ecclesia Exaltationis Sanctae Crucis et Sancti Viti in Archiepiscopalem Ecclesiam Goritiensem ut praefertur erecta in Canonicos respective recipi, et in fratres, Stallo Sibi in Choro et loco in Capitulo ipsius Ecclesiae Goritiensis, ut praefertur, erectae cum dicti juris plenitidine assignatis, Sibique etiam respective de illorum ac illarum ac annexarum eorundem fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus et emolumentis universis integre responderi, Contradictores autoritate nostra praefata appellatione postposita compescendo.)

<sup>53)</sup> § 19. Non obstantibus priori voluntate Nostra praefata, ac piae memoriae Bonifacii Papae Octavi etiam praedecessoris Nostri de una, et Concilii Generalis de duabus Dietis, dummodo ultra tres Dietas aliquis vigore praesentium ad judicium non trahatur, ac quibusvis aliis, etiam in Synodalibus, Provincialibus, Generalibusque Conciliis editis vel edendis, specialibus vel generalibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, neconon Nostris et Cancellariae Apostolicae praefatae Regulis, de jure quaesito non tollendo, ac de gratiis ad instar non concedendis, neconon Lateranensis Concilii novissime celebrati, uniones, et applicationes perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, ac quatenus opus sit, primodicti Monasterii, et Ordinis praefati, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, privilegiis quoque, indultis, et Literis Apostolicis, quibusvis Superioribus, et Personis, sub quibuscumque tenoribus, et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis, etiam motu, scientia, et potestatis plenitidine similibus, ac etiam consistorialiter, aut alias quomodolibet, etiam pluries, et iteratis vicibus concessis, confirmatis, approbatis, et innovatis, neconon praefata ultima dicti quondam Augustini Codelli voluntate, et dispositione. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, alias de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, et expressa, ac indi-

vidua, et de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita, et peculiaris forma servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omissio, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permanuris, ad praemissorum omnium et singulorum validitatis effectum, hac vice dum taxat specialiter et expresse, ac latissime et plenissime harum quoque serie, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus derogamus, contrariis quibuscumque. (Volumus autem, quod primodictus Antonius, antequam Praepositurae praefatae possessionem adipiscatur, fidem Catholicam juxta articulos jampridem a Sede Apostolica praefata propositos in manibus pro tempore existentis Archiepiscopi Goritiensis, sive eius Officialis, emittere, illamque sic emissam ad dictam Sedem sine mendis, cum sui et Archiepiscopi seu Officialis praefatorum subscriptione quanto citius transmittere omnino teneatur, alioquin dicta Praepositura vacet eo ipso.)

<sup>54)</sup> § 20. Nulli ergo omnino hominum licet hanc paginam Nostrae absolutionis, perpetuae suppressionis, extinctionis, erectionis, concessionis, dismembrationis, separationis, assignationis, unionis, declarationis, applicationis, annexionis, incorporationis, facultatum impartitionis, indulti, juris nominandi, reservationis, et extensionis, decreti, mandati, et commissionis, collationis, provisionis, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare praecepsurit, indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum.

<sup>55)</sup> Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quinquagesimo secundo. Quartodecimo Kalendas Maii, Pontificatus Nostri Anno XII.

#### *Expedita in Cancellaria Apostolica.*

<sup>54)</sup> Sanctio poenalis.

<sup>55)</sup> Dat. 18. Aprilis.

**Vsebina** 11., 12., 13. in 14. štev.: *Diplomatarij: Zatrje ogleskega patrijarhata in ustanovitev goriske oziroma videmske nadškofije:* 10. Ustanovitev apostolskega vikarijata s sedežem v Gorici za oni del ogleskega patrijarhata, ki spada k Avstriji. — 11. Nagovor papeža Benedikta XIV. po izdanju predstoječega pisma. — 12. Imenovanje Karola grofa Attems-a za apostolskega vikarija. — 13. Nagovor papeža Benedikta XIV. o zatoru ogleskega patrijarhata. — 14. Bulla istega papeža, zadevajoča popolni zator ogleskega patrijarhata ter ustanovitev dveh nadškofij, videmske in goriske. — 15. Ustanovna bulla goriske nadškofije.

<sup>53)</sup> Derogatio contraria.